



DISPUTATIO VI.

Centuriae tertiae

QVÆSTIONVM
ILLVSTRIVM

PHILOSOPHI-
CARVM

In Inclytâ *Wittebergensi* Academia
Proposita:

PRAESIDE

M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.
Publ.

RESPONDENTE

MICHAELE BLANCKIO
Dantiscano-Borusso.

*Ad 9. Cal. Novembr. hor. à 6. matutinis in Auditorio Col-
legii veteris.*

WITTEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus
Pauli Hellvvigii Bibliop. Anno 1607.





V I R I S
MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS,
*generis Nobilitate, raraq; literarum ac
Prudentia gloriâ clarissimis,*

Dn. IOANNI von der Linden / Procons.

Dn. ANDREÆ BORCKMANNO

Dn. BARTHOLOMÆO BRANDESIO

Dn. IOANNI PROITEN

Dn. ADRIANO von der Linden

} Senatoribus.

Inclytæ Gedanensium Reipubl.

*Dominis ac Patronis omni observantia colendis, has quales quales
studiorum Academicorum primitias, dicat & consecrat*

R. & A.

QVÆSTIO I.

An Syllogismus possit dividi in perfectum & imperfectum?



Ultū t̄ momenti positum est in ex aet̄a doctrina syllo- gistica notitiā, velut à quā omnis Logica usus uni- cē dependet. Idcirco non præter opera pretium fore a- bitramur, si cum Aristotelis lib. 1. prior. Anal. c. 1. v. 10. duplicem statuat syllogismum, perfectum scilicet & imperfectum, videamus, numquid divi- sioni huic tribui debeat.

Notandum t̄ verò in primis, syllogismi vocem hoc in loco non prout c. 1. lib. 2. post. An. pro alterutra propositionum ex quibus ipsa conclusio elicitur: sed proprie pro tota earundem aggregatione usurpari, sicque defini cap. 1. lib. 1. pr. quod sit λόγος ἐν τῷ τε δέντων τινῶν ἐτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶσθαι. Ex hac instituitur divisio (subiect. sc. in acc.) in perfectum & imperfectum. Perfectum appellat philosophus eum, qui præter ea, quæ accepta sunt, nullā aliā re indiget, ut necessitas (consecutionis) appareat. Imperfectum eum qui una re pluribusque indiget, quæ quidem per suppositos Terminos sunt necessaria, non vero per propositiones.

His t̄ præmissis nulli non liquet, utraque quasi manu calculum summo Aristoteli adiucendum, ac pro data divisione dimicandum esse. Rem enim paulo altiori mentis indagine per vestiganti, perfectitudinē soli primæ figuræ: non item secundæ & tertiæ, multo minus reliquis argumentandi formis assignari debere, facillimè persuadebitur. Et quidem his de causis.

1. Quia t̄ dictum de omni & nullo, est radix & fundamentum omnium syllogistica conclusionis, ut è probl. sequente constabit. Id vero soli primæ figuræ actu, reliquis v. non actu, sed potestate inest, ut Zabarella cap. 6. de quarta fig. ex Averroë cap. 24. supra 1. Anal. manifeste ostendit. Ergo.

A 3

Suffra A



2. Suffragatur etiam huic altera ratio è priori resultans, nempe conclusionis necessitas, quæ tam evidens ibi est, quam quæ maxime. At secunda & tertia figura habent quidem necessitatem inferendi, sed non conspicuam, nisi ad primam figuram reducantur, quod est proprium Syllogismorum imperfectorum. Ergo.

3. Quin & imperfectitudinis character est incommoda formæ syllogisticæ dispositio in cæteris syllogismorum speciebus. Sunt enim quedam imperfectæ ratione dispositionis terminorum, quedam ratione propositionum. Ratione dispositionis terminorum, ubi non naturalis sed ascititia Terminorû dispositio absurdam aliquam propositionem producit, qua adversarius ad impossibile redigitur. Ratione propositionum

1. Enthymema, in quo altera præmissarum reticetur, interdum major, interdum minor.
2. Indubtio, ubi ex pluribus singularibus vel particularibus generalis conclusio elicitur. Quæ omnia cum perfecti syllogismi naturâ ex diametro pugnant.

QVÆSTIO II.

An dici de omni & nullo sint fundamentum & radix omnis syllogisticæ conclusionis?

Ita sentimus, & Aristotelis & præstantissimorum Philosophorum suffragiis peroptime instructi. Quæ antequam recenseamus, aut unâ atque alterâ ratione corroboremus præceptis 1. Post memores, subjecti ambiguitates explicabimus, ne tempus de industria tere-re videamur. At primò non ignorandum, principia hæc duo etiam aliis indigitari nominibus, nam Philosophus ἐν ὅλῳ εἶναι ἕτερον ἕτερον idem esse perhibet ἀτὸ κατὰ τὸ αὐτὸς κατὰ γοῦσθαι δάτερον δάτερον ca. 1. §. 12. pr. an. Ad quem locum intell. gendum facit quoque admonitio CL. Pacii in notis: Idem inquit, re sunt, sed ratione differunt ut descensus & ascensus: nam subiectum dicitur esse vel non esse in toto attributo: quia attributum dicitur de omni vel nullo subiecto. Sic homo dicitur esse in toto animali, non esse in toto lapide: quia animal omni, lapis nulli homini attribuitur. Totum igitur in præsentia accipe attributivum, quod refertur ad partes subiectivas, ut genus ad species: aliud est totum integratum, quod componitur ex partibus integrantibus, ut homo ex capite, cruribus &c.

Ceterum

Ceterum † quid proprie per dici de omni & nullo intelligi de. 2.
beat, non paucis in in erto fuit. Exriterunt qui prius pro universali
duntaxat propositione affirmativa: posterius pro universali negati-
va habuerint. Erronea est hæc opinio totumque Aristotelis officium
destruens, teste Z. bar. dicto læpius cap. 6. Crellio lib. 3. part.
com. cap. 4. Regio lib. 4. de princ. syll. problem. 5. Alia enim est
prædicatio prioristica, alia posterioristica. Prioristica solam subiecti
universitatem significat, quæ sola ad illationis necessitatem faciendam
requiritur: posterioristica quoque temporis perpetuitatem postulat,
ut patet ex post. Anal. c. 4. §. 3. Arbitrati sunt nonnulli dici de omni
æquipollere huic regulæ, Quicquid dicitur de subiecto, dicitur etiam de
prædicatio. Sed nec eam eruditorum censura approbat.

Plurimq; † in eo conveniunt, nihil aliud hic innui, quam inte- 3.
grum processum syllogisticum, seu duos integros syllogismos tribus ter-
minis constantes eo ordine secundum prædicationem dispositis, ut unus
sit terminus prædicatione supremus & ordine primus, qui de secundo uni-
verse prædicatur, primus affirmati vè quidem in dicto de omni, negati-
vè in dicto de nullo, ut hæc dictiones ostendunt omnis & nullus:
secundus de alio tertio prædicatur qui ultimus omnium est & prædi-
catione infimus & sub secundo tanquam subiecta pars sub toto conti-
netur

Favet † h. sce philosophus non n. dissimilem descriptionem τὸ ὅλον 4.
τὰ ἀπὸ τοῦ posuit, licet breviorē. Dici de omni est, inquit, quando
nihil sub illo subiecto sumi potest, de quo alterum, hoc est, prædicatum
quod de subiecto illo dicitur, etiam non aicatur. Dici de nullo quando
nihil potest sumi subiecti, de quo alterū non omne removeatur. Quæ si
vera sunt, ut sunt, nihil certius divinus ille Arabs in epit. pr. anal. c.
1 p. onunciare potuit, quam principia hæc esse radicem omnis syllo-
gismi. Nam Ars semper Naturam æmulari, quin etiam quam proxi-
mè ad eam accedere d. b. t: igitur recte processus argumentandi natu-
ralis observatur, & præcepta methodusque artis ad eam diriguntur:
laudeque haud vulgari dignus Aristoteles qui quamlibet conclusio-
nem rejecit ex fontibus naturæ non derivatam. Atqui dictum de omni
& nullo ne latum quidem unguem à via naturali recedunt. Siquidem
omnia naturaliter in eo procedunt, & id quod supremum de altero dici-
tur, quod inferius est superiori subicitur & deniq; quod erat subiectum
A 3 v. l

vel prædicatum in præmissis idem etiam prædicatum manet in conclu-
sione, quatenus scilicet in illam ingreditur. E.

5. Deinde † quod dicitur esse & per similitudinem syllogismis, merito
pro eorum radiis habetur. Sed dictum de omni & nullo id faciunt.
E. Minor vix probationis indiget. Aristoteles enim 1. post. cap. 13.
primam figuram maximè scientificam vocat: qui sic: Quia hæc duo
principia evidentè in ea continentur. Dux enim sunt eorum condi-
tiones: 1. ut major syllogismi semper sit universalis sive affirmans sive
negans. 2. ut minor sit affirmans sive universalis sive particularis. Ra-
tio est, quia volunt ut prædicatum latius pateat subiecto, de quo præ-
dicatum illud universaliter vel affirmatur vel negatur. Deinde ut
subiectum illud latius pateat, quam tertium, quod sub illo subiecto as-
sumitur: & de quo subiectum affirmatur. Unde concluditur, subje-
ctum, cuius hic mentio fit, esse Medium terminum, in quo & per quem
duo Termini major & minor, tanquam in aliquo tertio uniantur.
Hanc vero genuinam & propriam primæ figuræ esse conditionem, nul-
lum latet, qui vel primis labris dulcissimum Logicæ nectar degustavit.
Idcirco cum nullum arte fabricatū syllogismum admitti voluerit Philo-
sophus nisi per reductionem ad primam figuram, hæc vero sedes horum
duorum principiorum sit: nihil minus convenit quam affirmati vè ad
problema nostrum respondentibus fidem detrahere.

QVÆSTIO III.

Sit Ens purè æquivocè diceretur de omni-
bus Entibus, utrum de omnibus Entibus esset
Scientia una?

1. Dux † problematicæ partes sunt: priori quaeritur. An Ens purè
æquivocè dicatur? posteriori: si hoc: num de omnibus Entibus esset
una scientia. Vtriusque difficultas ut quam fieri potest brevissimè &
dexterrimè enodetur nobis curæ erit. Et sanè posteriorem vix in dubiū
vixicare nedum serio negare audebit, qui, ut inter res, ita quoque inter
disciplinas ordinem st. rectè observandum esse in comperto habet. An ve-
ro ordo aliud quam dispositio primorum & secundorum: itaque com-
muniū & angustiorum sive superiorum & inferiorum? Quo iam
itaque Physica, Mathematica & reliquæ omnes considerant tantum
secunda & angustiora, res tales & tales, ut Physica naturale. Mathe-
matica.

mathica magnitudinem & numerum: ipsa rerum series, ipsa necessitas
disciplinam unam efflagitat, de primo seu communissimo praecepta tra-
dentem, atq; adeo de re non quatenus talis aut talis, sed quatenus sim-
pliciter & absolute res vel Ens est. Id munus delegatum est Metas-
physicae, cujus cancellis latissima Entis consideratio circumscribitur.

Sed † dictis obstaculo est, quin & omnia Metaphysices fundamen- 2.
ta penitus everti opinio nonnullorum sententiarum; Ens aquivocè de
omnibus Entibus predicari, talique nos scuto infestantium: Quae di-
cuntur de pluribus secundum diversas rationes sunt aquivoca: Ens
dicitur de pluribus, nempe substantia & Accidente secundum diversas
rationes. E. Ens est aquivocum.

Obtinerent † palmam, si Ens non esset genus $\omega\phi\delta\varsigma\epsilon\upsilon$, vel, ut ait 3.
Vesfor lib. 11. quaest. 2. si Ens secundum rationes omnino diversas,
non vero reductive ad unum principaliter, diceretur. Hec non aquivocorum
sed analogorum est natura; Quemadmodum eruditè Pererius l. 2.
de communib. omnium rerum principiis c. 2. penè sub finem judicat:
Analogum, ait, seu quod dicitur ab uno ad unum, non significat ma-
teriam aliquam diversam ab analogatis, sed proprie significat
omnia analogata, unum tamen eorum principaliter, alia vero
prout sunt aliquo modo affecta ad illud & habent ordinem seu
proportionem ad ipsum. Ex quo fit ut bene declarato principali
analogato facilis sit cognitio & reliquorum analogatorum, & i-
psius analogi quod est omne communibus. Quamobrem usu ve-
nit ut Aristoteles post habito communi analogo praecipue com-
moretur in explicando principali analogato, & c.

Nec † satis video, si omnium entium est scientia, ut sane est, quo- 4.
modo Ens aquivocè dici queat? Nam largiari oportet unanimi Philo-
sophorum consensu approbatum axioma: Unitatè videtur scientiae pe-
dere ab unitate subjecti: Si igitur ens merè aquivocum est, & planè
diversa denotat: equi constitueret poterit Metaphysicam? Sed nec
desunt plurima de ente enunciata: aquivoca autem propter confusio-
nem & obscuritatem è multitudine significatorum ortam non admit-
tuntur in propositione.

Parcior † hic ero quod satis lucubenter & prolixè idem restatum 5.
fecerit multis in locis Suarez imprimis disp. 32. sect. 2. & Philosophi
auctoritas non parum lucis afferat sententiae nostrae, 1. Eth. cap. 6. ut
& 4. Metaph. cap. 2. expresse affirmantis: Ens multipliciter dici ad
numm,

unum, non tamen æquivocè. Cui accinit Averroes inquiens: Manifestum est quod hoc nomen Ens non sit æquivocum nec predicetur univocè, & tamen predicetur de multis: quare est analogum.

Vnica † restat diluenda objectio: Scientia, ajunt, acquiritur per demonstrationem cujus medium est definitio vel ratio subjecti: sed entis & cujuslibet analogi non est una ratio. E. unitas analogiæ non sufficit ad unitatem scientiæ. Respondet Versor; & responsum antehac est: quod analogi ratio sit una non simpliciter, sed secundum analogiam, quatenus reducitur ad aliquod unum. Hoc autem sufficit ad scientiam; quia sicut in poster. Analyt. Si subjectum sit analogum, medium sit analogum & passio. Atque sic manifestum negative sententiæ subscribendum: nimirum si merè æquivocè diceretur Ens, non esse scientiam unam de omnibus Entibus.

QVÆSTIO IV.

An in Metaphisica. considerari debeant prima demonstrationis principia?

1. Inter † officia à philosophis huic scientiæ assignata & hoc ponitur, prout colligi potest ex Aristotele 1. post. 7. §. 1 2. 4. met. 2. & in proœmio Metaph. cap. 12. Nostri instituti est controversiam acute nimis, nimis fuscè à Suarezo disp. 1. §. 4. ventilatam paucis complecti. Patrocinium vero is affirmantium suscipit, ac pro reportanda victoria eiusmodi rationum clypeis aliorum ictus suscipit. 1. Prima & universalissima cadunt sub contemplationem huius scientiæ: Principia hæc sunt prima & universalissima. Ergo. &c. Neutra præmissarum falsitatis rea est: idcirco neque conclusio. 2. Vbi principiorum Termini tractantur, eo etiam ipsa referri debent: Sed in Metaph. principiorum primorum Termini tractantur. Ergo. Traditur enim in hac scientiæ quid sit Ens, quid substantia, quid Accidens, quid Totum, quid Pars, quid Actus, quid Potentia, &c. quibus Terminis, ut & aliis similibus prima principia constant. Cum v. hæc principia in re non habeant intrinsecum & quasi formale medium, quo illorum extrema connectantur, per se cognoscuntur ex cognitione terminorum: unde nihil magis potest ad eorum cognitionem juvare quam scientifica & evidens notitia Terminorū seu rationum eorum, qualis est illa, quæ in hac clypeis

scientia traditur. At v. non ita proximè & immediatè descendit ad proxima & particularia principia singularum scientiarum & ad Terminos ex quibus constant: sed tantum vel quatenus necesse est ad proprias definitiones tradendas propriosq; Terminos explicandos: vel quatenus in iis generales rationes & præsertim transcendentales, ut dictum est, includuntur, sine quarum cognitione & adminiculo non potest aliqua ratio seu quidditas vel essentia alicujus rei in particulari explicari: e. caus. hoc principium: Si ab æqualibus æqualia demas remanent æqualia: consideratur in Metaphysica generalissimè: in Geometriâ autem per applicationem ad magnitudines: In Arithmetica per applicationem ad numeros. 3. Vbi demonstratur certitudo & veritas principiorum ibi genuina eorum instituitur consideratio: At in Metaphysicis hoc fit. Ergo. Minorem pluribus enucleat Suarez citato loco distinct. 18. 19. & seqq.

Nunc & discutienda supersunt adversariorum & à nobis divortio 2. um facientium argumenta.

1. Sic insurgunt: Prima principia sunt per se, naturaliter ac sine discursu nota: Hac autem scientia, cum essentialiter sit scientia in omnibus partibus suis, in nulla earum potest nisi per discursum, & consequenter circa conclusiones & propositiones mediatas versari. Ergo nullum munus proprium circa prima principia potest exercere.

2. Ad intellectum pertinet præbere assensum primis principiis: E. non ad Metaphysicam.

3. Propria Dialectica, non sunt confundenda cum Metaphysicâ: Doctrina primorum principiorum demonstrationis est propria Dialectica. E.

4. Propria omnium scientiarum malè attribuuntur soli Metaphysicæ: Omnes scientiæ utuntur primis principiis demonstrationis, quia per ea stabiliuntur principia omnium scientiarum. E. Principia non magis spectant ad Metaphysicam, quam reliquas scientias.

Quæ & omnia si accuratè à iudicii lance expendantur, fidem di- 3. ctis nostris minimè sunt detractura. Ad primum in promptu est respon- sio. Concedimus enim munus hujus scientiæ circa prima principia non esse elicere illum assensum evidentem & certum, quem intellectus lumine naturali ductus sine ullo discursu præbet primis principiis: Sed uti aliquo discursu circa ipsa principia, quo confirmantur quodammodo, & defendantur.

B

Ad

Ad secundum: itidem applicari potest præsupposita: Intellectus enim versatur circa principia ut talia sunt: Metaphysica autem non versatur circa illa formaliter, seu quatenus talia sunt, sed ut sunt aliquo modo conclusiones: & ideo intellectus attingit sine discursu: Metaphysica mediante aliquo discursu. 2. ille non addit certitudinem & evidentiam propriè assensui illorum, qui ex sola natura haberi potest: sed addit facilitatem & promptitudinem in exercenda illa evidentia & certitudine: Metaphysica vero addit evidentiam & certitudinem, quia novo modo & per novum medium facit assentiri eidem veritati.

Ad tertium limitando respondemus cum Versore lib. 11. quæst. 3. Dialecticæ enim proprium est demonstrare prima principia, ex probabilibus. Non hoc competit Metaphysicæ, quæ ostendit ea demonstrativè, procedendo ex propositionibus per se notis.

Ultimi refutatio ex ante dictis desumi potest, nimirum Metaphysica utitur principiis generalissimè acceptis, Scientiæ vero particulares applicatis ad aliquam materiam, & etiam quasi præsuppositis & confirmatis in Metaphysica, &c.

QVÆSTIO V.

Quonam modo lationes à terminis in quos feruntur speciem capiant?

1. *Totidem † verbis præsens οὐζήτημα informatur à DD. Conim. lib. 5. phy^l. Cap. 4. quæst. 4. Celebre quidem illud, sed obscuritate verborum adeo tenebris involutum quondam, ut vix ulli quæstionis scopum cogitando assequi licuerit. Ne itaque in ejus tractatione & nostro hallucinari contingat intellectus, pauca præfari consuevimus.*

2. *Et † primo memoriâ repetendum, lationem esse speciem motus, quâ corpus de loco in locum movetur. 2. Motum omnem duobus consistere terminis, termino à quo incipit & termino ad quem progreditur, atque adeo à termino posteriori, nempe ad quem, præcipuè unitatem & distinctionem motus capi. 3. Tandem, hunc terminum ad quem, licet unus sit, duplici ratione considerari, nimirum vel formaliter prout habet diversos modos terminandi: naturalem scilicet & violentum, vel*

vel materialiter pro ipso loco ut superficies corporis est ambientis per se sumpta. Hisce communes actus rectè à rem ipsam aggredimur.

Delectantur & nonnulli sententiâ afferentium rationes à termino si ve loco formaliter spectato distinctionem vel speciem capere, sicut terram à virtute motrici eorundem corporum gravitate, nimirum & levitate, quorum impulsu corpora in loca sua deferuntur: ita ut terramotus, qui sursum fit, differat ab ignis motu in sublime; propterea quoniam hic naturalis ille violentus: vel etiam quia gravitas terra à levitate ignis specie differt. Pro dictis, modo afferenda militare videntur rationes, à DD. Conimb. citato loco prolatae:

1. Quilibet actus, sanò accuratiorum Philosophorum judicio, accipiunt unitatem & distinctionem à suis objectis & finibus, spectatis secundum formales rationes terminandi: Motus est actus: E. distinctionem accipit ab objecto, quod est locus: & sine in quem tendit, & quo adeptio mobile quiescit.

2. Distinctio motuum oritur à contrariis: Violentum & naturale sunt contraria, teste Philosopho. E.

Sed & labyrinthis hinc facile nos extricabimus, negando simpliciter rationes distingui ratione naturalis & violenti: si de propria specifica distinctione loqui velimus. Tuentur hanc conclusionem Toletus quæst. 2. ad c. 4. phys. l. 5. Albertus Sax. quæst. 6. Scotus quæst. 2. Et justè. Nam calefactio qua incalcescit aqua, non distinet specie ab ea, qua calefit ignis, cum vel à seipso vel ab alio igni ad perfectum gradum caloris quem amiserat reducitur: cum tamen hæc sit naturalis, illa violenta.

2. Advertendum dupliciter aliquid specie differre: scilicet vel essentiali, cum secundum substantiam duo differunt ut homo & leo: vel specie accidentali, cum secundum accidentia specie diversa differunt ut homo albus & niger. Per optimè id motum ad applicatur. Motus enim duo specie essentiali differunt, cum ratione motus differunt puta in terminis ad quos ut sursum & deorsum: accidentali differunt cum per accidentia: & sic violentum & naturale faciunt motus differre specie accidentali, non essentiali: possunt enim duo motus esse unius speciei alter naturalis alter violentus.

Respondemus & igitur ad primum argumentum opinionis contrariae, concedere nos Majorem secundum quid: affirmare quidem motum loca-

lem habere se ad suum terminum, tanquam ad suum obiectum: negare vero quasdam illi, & quidem uni, Termino formales rationes inesse specie distinctas, quæ hunc motum ab illo, in eodem termino terminato specie distinguant. Nam quod locus, verbi gratia, ignis sit violentus terræ, quando in eo terra est, id per se termino, siue loco isti non inest, sed ex accidente ei contingit & tribuitur, nempe propter causam efficientem & ejus actionem, qua in locum ignis terra promotæ est. Quando itaque terra & ignis unum petunt locum communem, nempe superiorem; ratione Termini unus est motus, & quidem unus specie: quod autem terræ motus sit violentus, ignis naturalis, id inde est, quia causa efficiens motus ignis est naturalis & interna: causa vero efficiens motus terræ est violenta & externa, quia terra contra suam naturam illo ipso motu, quæ ignis aliàs naturaliter movetur, est mota. Est igitur idem motus secundum speciem in igne & in terra. Quod autem idem ipse respectu terræ dicitur violentus, & respectu ignis naturalis, id non ingreditur essentiam & specificam constitutionem speciei, sed ei accidit propter diversa subjecta & diversas causas efficientes. Sic specie eadem est albedo quæ in Cygno & pariete est: licet illa sit naturalis, hæc artificialis & suo modo violenta. Ut itaque propter diversa subjecta & causas efficientes non dicere possum, albedinem in cygno esse specie distinctam ab albedine quæ in pariete est: ita etiam propter eandem causam motus sursum, qui sunt in diversis & specie distinctis subjectis, & à diversis causis efficientibus, non dici possunt specie distincti. Verum, inquis, adversam partem urgere formale termini, quod non locus est sed Ubi: ac statuere ab illo motum speciem accipere. Etsi quidem illud neget Scotus qui vult i. distinct. q. 7. & multi alii qui hodie eum sequuntur, Latrones accipere speciem à terminis ad quos materialiter sumptis. Demus id tamen illis, sed quid inde? Ubi est circumstantia corporis à circumscriptione loci alicujus proveniens, ut in loco superno, infero esse, in foro esse, in aula esse. En, si ve sumas locum ipsum, si ve ubi perinde est, cum etiam in Ubi Locus potissimam rationem habeat. Examinentur exempla: Quæ ubi sunt specie distincta, an in foro esse & in aula esse: an in foro esse violenter, & in foro esse motu naturali? Certè quilibet modo ratione non careat, respondet it illud ubi in foro esse, distinguere specie ab ubi in aula esse: in foro autem esse violenter vel naturaliter, esse accidentia Ubi. Quis igitur non affirmabit, Ubi illud, esse in loco supremo, ab illo, esse in loco

loco infimo, specie distinctum esse: contra, esse in loco supremo violenter & esse naturaliter Vbi accidere?

Ad 2. Syllogismus peccat in forma: Est enim in secunda figura affirmativus. Deinde non negamus naturale & violentum contraria esse: Inde vero sequi, illa contrarias species motus constituere, id negamus. Motus enim specificæ rationes non sunt violentum & naturale, sed tantum accidentia, & affectiones.

QVÆSTIO VI.

Vtrum ad unitatem numeralem motus sufficiat unitas numeralis rei motæ, temporis, & formæ, quæ acquiritur?

Motum & omnem continuum eaque de causa unum esse refert v. Philosophus noster lib. 5. Physicorum cap. 4. t. 39. Cum vero unum variis dicatur modis, nimirum vel genere, vel specie, vel numero: Posteriorem approbat definiendo tex. 34. Motum simpliciter unum qui & essentia & numero unus est, ἀπλῶς δὲ μίαν κίνησιν, inquit, ἢ τῆς οὐσίας μίαν ἢ τῶ ἀριθμῶ. Atque ut animi sui sensa magis in apertum prof rat, tria quæ motus insunt distinguit: 1. Quod ὄ, id est, mobile nempe quod movetur. 2. id in quo, ἐν ᾧ: quod est forma si-ve terminus. 3. quando ὄρε, id est, tempus. Tribus hisce commemoratis, docet ad unitatem genericam & specificam sufficere unitatem termini absque unitate temporis. Ad unitatem autem numeralem maximè opus esse concursu horum trium nempe unitate mobilis, formæ, temporis.

Hæc & omnia, utut vero consona, atque exactissimo Aristotelis 2. iudicio evidentissimè demonstrata, tamen vix unius assis faciunt nonnulli dissimilem animo opinionem foventes. Idcirco & singulas problematis partes, singula penè verba, singulari argumentorum arte adoriuntur. Argumentis profecto vel peritissimo cuique non citra sudorem solvendis. Consignata vero sunt fideliter & excussa graviter à D. D. Conimbr. libr. 5. cap. 4. quæst. 5. & à Toletò ad locum eundem Aristotelis quæst. 3. & à nobis in unum fasciculum hac vice colligentur.



3. De primo † itaque requisito, nempe unitate mobilis, ut exordiamur, illud refelli posse videtur ipsa auctoritate Aristotelis textu 23. cap. 3. lib. 5. Phys. Ex quo loco arguunt sic: Prima & ultima chorda, à cytharado uno eodemque tempore tacta, motus est continuus: Prima & ultima chorda sunt diversa objecta: Ergo & diversorum objectorum motus potest esse continuus & unus. Palinodiam certè hoc loco cecinit Aristoteles. Quin & idem ostendere conantur in ligno partim viridi partim arido, quod unico motu cietur, & tamen partibus specie diversis constat: vel etiam in gutta pluviae cadente è regione aeris in terram, qua in medio sit grando vel lapis.

4. Secundum † requisitum, videlicet formae seu Termini unitatem, tanquam s. pervacaneum, idem exterminare satagunt: quia inquit, lapidis motus à globo Luna usque ad terram unus est numero, cum nihilominus loca intermedia plura sint, videlicet superficies aeris, ignis, aquae.

5. Sed † & tertium otiosi duntaxat ingenii commentum esse autumant. 1. Nam Tempus accipietur hic vel pro mensura primi mobilis: vel pro mensura propria atque insita cujuslibet motus: Si primum: ridiculum. Ejusmodi enim tempus semper unicum est & continuum, non interruptum nostris actionibus, cum motus caeli semper continuus sit. Si posterius: cur plura ad unitatem motus requiruntur? Nam ubi hæc unitas numeralis conspicitur, necessarium est concurrere idem mobile eandemque formam, atque ita eundem motum numeralem. 2. Prius non pendet à posteriori: Motus est prior tempore, quippe cum sit passio motus 12. Metaphys. 4, 29. Ergo unitas motus non pendet à tempore.

6. Attamen † cum & illi pro defendendâ motus unitate sese arena committant: requisitis Aristotelis quaedam vel demunt, vel addunt alia. Qui pauciora volunt, unitatem motus tantum à mobili sumi debere contendunt, non à tempore nec a termino: quia Accidentia sumunt unitatem à subjecto: Motus est accidens. E. unitatem capit a subjecto, id est mobili.

Qui plura: unum quoque numero motorem flagitant. Et hi attestantem habent Aristotelem 8. lib. cap. 6. tex. 49. quo in loco manifeste pronunciat, quod Unus motus à movente proficiatur uno & unius mobilis sit. Nam si aliud aquè movebit, motus non erit continuus sed interruptus. Idem inculcat eodem lib. cap. 10. tex. 81. Exigunt

gunt quoque unitatem Termini à quo: Neque enim unus numero motus potest ex diversis numero Terminis simul procedere.

Hac est Achillea illa Antagonistarum machera quam Philosophi sententiam penitus destruere ausi sunt. Frustra tamen. Siquidem firmitudo ipsius vel pueris conspicua fiet ex oppositorum confutatione.

Respondemus itaque ad primum per distinctionem vocabuli motus. Nam considerari potest vel motus manus, qui fit ab anima vel motus chordarum, quae manu tanguntur. Ille quidem est motus unus numero: Hic vero non item. 2. Quod attinet lignum, non est unum quid continuum sed contiguum, atque adeo non est unum numero subiectum, ideoque non potest unum numero motum subire sed plures, quantumlibet sensus eorum distinctionem & varietatem non dignoscant. Multum vero refert observasse discrimen inter esse simul, esse continuum, & esse contiguum: de quo legi potest Toletus loco citato.

Ad 2. circa formam quae motu acquiritur, regerimus motum non terminari per se ad superficiem corporis ambientis, sed ad ubi, quod est idem cum quantitate rei motae, ut habet text. 31. lib. 8. Phys. atque sic nihil referre quod lapis à concava luna descendens aliam atque aliam induat superficiem: etenim in toto eo spacio unum continuum ubi acquiritur.

Porro & tertii imbecillitas agnosceretur, si modo notarent neutram temporis significationem hic venire, sed excludi tantum omnem quietis mediae moram. Ad alterum Pererius lib. 13. cap. 8. quaest. 9. dicit unitatem motus non per se pendere à tempore: tamen, quia motum fuisse continuum & non interruptum, non potest cognosci à nobis nisi ex relatione ad tempus, ideo tempus adhibetur ad constituendam unitatem numeralem.

Insuper quarti solutio facilis erit si attendatur, unum numero dupliciter dici, vel intrinsece si ve formaliter, & sic res qualibet singularis est una numero: vel extrinsece ac velut effectivè. Hoc loco non consideratur motus uni as numeralis extrinseca: haec enim est à subiecto, & sic etiam accidentia genere diversa, si eidem insint, unam numero dicuntur. sed intrinseca seu individualis quae à tribus sumitur.

Ultimum superest cui id responsi damus: 1. ad motus continuitatem non requiri unitatem motoris nisi ex accidente Vide Toletum loco citato. Deinde obiectio etiam bifariam potest intelligi: vel quod pendeat motus uni as à motore simpliciter uno numero, vel à duobus

duobus unius vicem subeuntibus. A priori modo calculum reducimus: non à posteriori. 2. Causa, quod Aristoteles Termini à quo unitatem prætermiserit, in eo sita est: quia si motus sit unus, & Terminus ad quem unus, Terminus quoque à quo, propterea quod illi oppositus est, necessario unus esse per se intelligitur, vel quia cum Terminus à quo abijciatur per motum, Aristoteles in declaranda unitate & contrarietate motus videtur eam despexisse: Ratum itaque esto; ad unitatem motus numeralem, requiri unitatem mobilis, formæ & temporis numeralem.

QVÆSTIO VII.

Vnde orientur species sensiles?

1. Non † hic disputamus de specie Logicâ, prædicato scilicet communi de pluribus numero, sed speciei appellatione in præsentiarum denotatur qualitas realis, quâ objectum agit in potentiam sensitivam, & quâ mediante fit sensatio. Quæ species est simulachrum quoddam & imago objectum representans & ita illam objiciens sensui, ut illud objectum extra se sentire possit. Quo nomine Aristoteles lib. 2. de anim. cap. 12. t. 121. & 124. docet, sensum esse id, quod sensibiles absque materiâ formas, id est, imagines suscipere potest. Et lib. de memoria c. 1. Recordationem absentium in nobis gigni ob simulacra in sensu interno observata. Declaratur egregiè ipsarum natura exemplo Iridis ab acutissimo Scalig. ex. 80. l. 8. neque cedunt huic Toletus quæst. 33. ad cap. 12. de Anim. DD. Conimbr. in lib. 2. de Anim. cap. 6. quæst. 2. Sicut autem de earum necessitate ad sensum vel lippis & tonsoribus, ut ajunt, constat: ita octus earum ingenio vel præstantissimo præditos mirum in modum cruciavit. Summam sanè à doctis inire debet gratiam. Zabarella, qui in præclaro libello de sensu agente fidelis inter Mercurii extenso quasi digito rei occultæ vestigia lectoribus monstravit. Cujus sententiam antequam nominemus, exponamus, defendamus, aliorum placita primo examinabimus.

2. Invenias † vero plurimos, teste Zabara. cap. 2. qui præter objectum, aliud agens dari contendunt, à quo species sensilis producat: quod sequentibus rationibus persuaderi potest:

1. Omnis causa est dignitate prior suo effectu: Objectum non est prius suo effectu scilicet speciebus sensibilibus. Igitur objectum non est

earum

earum causa. Minori fidem faciunt: objectum enim est quiddam materiale: species vero sunt quiddam spiritale, quod longe præstat materiali.

2. Ut se habet objectum intelligibile ad intellectum: ita objectum sensibile ad sensum: At phantasma, quod est objectum intellectus, non potest movere intellectum sine ope intellectus agentis: E. neq; objectum sensibile sine sensu agente.

3. Annectunt testimonium Averrois in commen. 6o. lib. 2. de Anima: ubi ait necessariam esse, præter objectum sensibile, aliquam facultatem activam, à qua species producantur.

Non t̄ longe ab his distat Suesanus negans quidem sensum agentem, pernegans tamen etiam species has ab objecto oriri: ponens earum causam esse Deum, qui per medium objectum materiale tanquam per instrumentum producat speciem sensibilem.

Refragatur t̄ huic Buccaferreus, statuens præter objectum, aliud agens, sed non sensum, non Deum, sed cælestes intelligentias sive cælum per virtutem intelligentiarum.

Sunt denique alii qui Charybdin vitaturi in Scyllam incidunt, non modo ajunt, nullum objectum sensibile suapte naturâ posse spiritualiter agere, sed & species sensibiles velut inutiles è scholis Philosophorum eliminari malunt.

Nos t̄ cum Scaligero ex. 298. f. 16. Zabarell. loc. dict. c. 5. 6. item cum Alberto alijsq; permultis dicimus: qualitates sensibiles talem habere naturam, ut multiplicent in medio speciem suam spiritalem, proinde vanum esse querere aliud externum agens, cum ad speciem producendam ipsa suapte natura sufficiant.

Rationem t̄ reddens hujus referente Zabarella, Albertus, dicit omnem formam esse multiplicativam sui ipsius vel realiter vel spiritualiter: quatuor enim primæ qualitates utroque modo agunt; ut calor tum calorem realem in aliâ materiâ producit, tum etiam speciem spiritalem in medio & in organo sensus tactus: reliquæ vero omnes sensibiles qualitates & accidentia omnia sensilia per se, cum vim non habeant agendi realiter, saltem agunt spiritualiter, ut quantitas licet non sit activa actione reali, hoc est, productiva alterius similis quantitatis: spiritus tamen activa est; cum enim sit de numero sensilium per se, speciem suam producit, quod non est aliam quantitatem producere, sed sui ipsius imaginem, quæ ipsammet representat: sic dicendum,

C

dum,

dum est de omnibus sensilibus per se tam propriis quam communibus. Duplicem hanc actionem distinguens Albertus dicit aliud esse producere formam in materia, & aliud, producere formam tantum: etenim producere formam in materia est materialiter agere & producere alteram similem formam materialem; forma enim materialis à materia in qua recipitur, pendet in esse & in conservari, non ab agente nisi solum in fieri; & tali actione non sunt activa alia accidentia, quam sola prima quatuor qualitates, quæ ob id act. væ appellari solent; producere autem formam tantum, non formam in materia, est spiritualis speciem producere: quia licet species sit in aliqua subjecta materia, ab eâ tamen non pendet in esse & in conservari, sed ab agente à quo producit. Quemadmodum igitur vana esset quaestio, cur calor alium calorem materialem producat, cum nulla hujus predicationis sit alia ratio quam ipsamet caloris natura; quæ apta est ad alium calorem in alio generandum: ita etiam vanum est quaerere cur sensiles qualitates in medio & in organo speciem suam producant: etenim si ipse natura sunt aptæ ad speciem multiplicandam: cum enim multò majus sit agere realiter & producere aliquid simile materiale, quod est majoris entitatis, quam producere speciem suam spiritalem, quæ minoris est entitatis; siquidem v. demus qualitates quæ materialiter agunt agere etiam spiritualiter, multas autem agere spiritualiter quæ realiter agere nequeunt: si non miramur, quomodo aliqua realiter agant, cui mirandum est aliquas agere spiritualiter? Tantum Albertus.

3. Revelata t̄ igitur veritate, nihil restat quam ad versariorum in nos retorta tela retundamus. In Trium posteriorum opinione, cum non sit celebris, refutanda non morabimur. Videri potest Zab. c. 3. & 4.

9. Prima t̄ aliquid negotii nobis facessit. Ad minoris probationem respondemus distinguendo inter spiritale reale sive substantiale & accidentale. Substantie spirituales utiq; nobiliores sunt materialibus, & materiales non sunt cause spiritalium: imo potius spirituales sunt cause materialium, igitur in iis nulla oritur difficultas: in accidentibus autem spiritale ad materiale refertur tanquam effectus ad causam producentem & est minoris entitatis quam illud, ideoque imperfectius, deficit enim ab integritate perfectionis illius & à natura ejus specifica: Lux enim, exempli gratia, nobilior est lumine ab ea producto in aere, quod est imago lucis & accidens spiritale.

Secunda

Secunda † nihil convincit: Similitudo enim claudicat. Nam
objectum à quo movetur intellectus est phantasma singulare & sensibile,
quod ut moveat intellectum transferri oportet de gradu inferiore in
gradum excellentiorem: de gradu sensibili in gradum intellectualem: ideo
cum non sit aptum ad id propriis viribus præstandum, eget aliquo in-
telligibili quo reddatur actu intelligibile: ac objectum sensus non e-
get aliâ translatione de gradu in gradum, sed jam per se est sensibile &
ut tale est motivum sensus.

Ad tertiam † nihil facit allegata Averrois auctoritas: hic enim
affirmative nihil determinat, sed tantum dubitat: id enim dicit tan-
quam difficultatem tangens & ejus causam, & tam insolutam dimit-
tit. Statuendum itaque: sensiles species non ab agente sensu, sed ab
objecto originem suam trahere.

QVÆSTIO VIII.

Quare Fides, Spes, Charitas, non sint inter
virtutes numeratæ?

Neque † hac injuriarum levissima est, quibus Aristotelem passim
lancesi audimus etiam à viris haud vulgare doctis, quod nimirum
media beatitudinis acquirenda præscripserit mutila, manca. E multis
unum profero Ludov. Vivem, ac quantum seculi elapsi philosophum?
quoties quælo hic totam Aristotelis de felicitate doctrinam virgulâ cen-
soriâ rigidè perstrinxit? lib. 6. de caus. corrupt. artium. Et probant
idem, quibus nihil equè admirationi est atq; nullam Fidei, Spei, Cha-
ritatis, aliarumq; aliquarum virtutum mentionem ab Aristotele usquã
fuisse factam. An vero absq; harum adminiculo metam actionum E-
thicarum attingemus? Minimè. Non igitur, inquiunt, subterfugere
reprehensionem Aristoteles potest.

Sed † non opus tantâ verborum acritate. Fatemur & nos cum D. 2.
Augustino in Johann. quod quicquid meriti, quicquid beatitudinis
anima susceptura est, ex Fidei fundamento procedat. Fatemur cum
Cic. l. 2. Rhet. sanctissimum humani pectoris bonum esse Fidem. Absit
ut negemus illud Gregorii: Deo nihil gratius est dilectione, nihil Di-
abolo desiderabilius hujus extinctione. Neq; etiam innumerabiles Spei
utilitates ignoramus. Mitius tamen in hac causa cum Aristotele agi po-
tuisset, debuisset. Rationes enim cur in virtutum album ipsas non re-
pulerit, hæc assignari possunt.

C 2

Distinguen-

3. I. Distinguendum † omnino est, cum summa intercedat cognatio SS. Theologiae cum Ethica inter utriusque finem, de quo praclare agit Keckermannus in praecognitis generalibus system. Ethici. Ethica acquiescit in felicitate civili: SS. Theologia vero respicit eternam & absolutam hominis beatitudinem. Cum igitur media mensuram capiant ex fine 1. Pol. c. 6. finis autem Ethica sit felicitas civilis, sufficit enumerasse media eum finem producentia, nimirum virtutes morales. Fides autem, Spes, Charitas, ut Piccol. grad. 4. c. 36. inquit: non sunt humanae sed Theologicae & divinae. 1. ratione principii infundentis. 2. ratione finis in quem elevantur: 3. ratione propriae conditionis & naturae: Idcirco Theologiae propria & ipsarum tractatio, tanquam disciplina longè excellentiori, & non modo Honestatis, sed & Pietatis exercitia, dictatoriâ veluti auctoritate, sibi vendicanti.

2. Accedit rerum divinarum ignorantia, quae ut plerisque Paganismi labe infectis, ita & Aristoteli glaucoma objecit, quo minus praevideret aut saltem crederet animam postquam è vinculis corporis tanquam è carcere evolvit, corpori rursus junctâ fore, vitâq; alterâ fruturam. Quomodo itaque de mediis, vitæ aeternae felicitatem causantibus, miser verba faciat? Sermo enim est nobis hâc vice de virtutibus hisce quatenus inserviunt Theologiae, & sic ne per somnium quidem cognita fuerunt Philosopho.

4. Si † vero fides pro factorum dictorumq; constantia & integritate accipiatur, Justitia quaedam species est, quo pertinet illud Ovidii Epist. 18.

Non bove mactaro caelestia numina gaudent;

Sed quæ præstanda est, & sine teste, fide.

5. Deinde † si spes usurpetur pro perturbatione animi relatâ ad futurum bonum: timori opponitur, & est quaedam species Fortitudinis analogicè dictæ, explicaturque ab Aristotele libr. 3. cap. 8. Ethic. Nicomach.

6. Charitas † denique, quatenus pro amore & sui & proximi venalis est, proposita est 9. Ethic. c. 4. & 8. lib. cap. 12.

7. Quid † vero obstat ne Fidem, Charitatem, Spem, sub numero Heroicarum virtutum etiam comprehendamus? Certe Heroica virtus est, quæ nos supra humanam conditionem elevat, & ad Deum extollit, quo munere felicissimè prænominata tres funguntur.

QVÆSTIO IX.

Quomodo universa Virtus, quæ etiam Iustitia dicitur, sit una?

Scito, † ne forsan erres, per vocem iustitiæ in præsentiarum a 1. nobis non intelligi eam, cuius mentionem SS. literæ faciunt, immunitatem scilicet ab omni peccato tam originis quàm actus: sed habitum modo, per quem idonei sumus ad agendum ea, quæ iusta sunt, & per quem etiam iusta agimus & volumus. lib. 5. Eth. c. 1.

Porro † cum Iustitiæ vocabulum sit homonymum, ut vel contra- 2. rium eius oppositum argumento est, non vitiosa, Aristotele teste, instituitur divisio in universalem & particularem.

Universalis, † (Aristotele $\nu\omicron\mu\iota\mu\epsilon\tau\epsilon\ \delta\iota\kappa\alpha\iota\omicron\sigma\upsilon\nu\eta$, quasi dicat le- 3. galis) est obedientia erga omnes leges in civili societate, vel ut Keckerman. lib. 1. system. Eth. c. 4. est virtus dirigens voluntatem & appetitum hominis ad obedientiam omnium legum pertinentium ad humanæ societatis conservationem, atque adeo virtutum omnium habitum, & actiones gubernans secundum præscriptum istarum legum, ut homo sentiat & agnoscat se obligatum esse ad leges servandas, & ad suum sibi ipsi suisq; tribuendi.

Hanc † Cicero eloquentiæ parens peritissimusq; dicendi artifex, in 4. aurei Off. Opul. lib. 3. virtutum omnium reginam ac dominam, excellentissimam i. de natura Deorum: causam atq; sentinam i. de legib. nominavit. Ipsa sola Philosopho nostro est $\tau\epsilon\lambda\epsilon\iota\alpha\ \eta\ \kappa\epsilon\alpha\tau\iota\sigma\eta$. Perfecta & optima est quæ cuius vel Hesperus vel Lucifer puls chritudini cedat, approbans illud Poetæ: $\epsilon\nu\ \delta\epsilon\ \delta\iota\kappa\alpha\iota\omicron\sigma\upsilon\nu\eta\ \sigma\upsilon\delta\delta\eta\ \epsilon\delta\upsilon\upsilon\ \omega\alpha\sigma\ \alpha\gamma\epsilon\tau\eta\ \sigma\prime\iota$: Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Ain † † vero? miraris Virtutem unam dici universalem? con- 5. tradictionem in adjecto statuis? Noli, sed, si placet, sequentia oculis percurrito, illico omne dubitationis punctum tolletur. In questionis abhinc tertie vestibulo allegabantur ex Aristotele tres unitatis modi, nimirum vel generis, vel speciei vel numeri. Neutro hæc virtus dicitur universalis, attestante Piccol. grad. 4. cap. 37. Non genere: quia negatâ unâ specie non statim negatur genus: sublatâ vero unâ virtutis specie, tota Iustitia abesse dicitur. Nec specie: quia objecta eius sunt specie distincta, ut actiones, item perturbationes corrigendæ. Si neque genere, neq; specie: multò minus numero.

6. Statuendum + idcirco cum Piccol. cap. 38. dupliciter sumi Iu-
 stitiam universam: vel pro quodam predicato communi, hoc est, pro to-
 to universali, quod dicitur tum de virtute universa, tum de qualibet
 ejus parte. Hoc sensu quodammodo dici potest genus non synonymum
 sed analogum vel $\alpha\phi$ $\epsilon\upsilon\delta$: quod primario virtuti universali: se-
 cundario particulari competit. 2. Vel pro toto aggregativo, non mi-
 xto sed conflato, connexo ex partibus dissimilis speciei: Et sic constat
 Virtutem universalem esse unam, per connexionem nimirum singula-
 rum partium distincta formae: in qua tamen qualibet pars suam reci-
 net formam & per connexas nedum minuitur, ut ea quae mixta, verum
 potius & quoad essentiam & quoad actiones perficitur; sic qualibet
 virtus in suo gradu perfecta: & cunctis constituta universalis perfe-
 ctissima est. Quo respectu Arist. 1. Rhet. Temperantiam & Fortitudi-
 nem, &c. maluit partes quam species virtutis nuncupare.

7. Obstrepit + dictis Alex. in 4. Natur. quaest. Partibus non
 competit nomen vel definitio totius: Fortitudo, Temperantia, &c.
 sunt partes: Ergo non competit illis nomen totius: nempe **VIR-**
TU S, quod tamen est falsissimum. Sed haud arduum est objecta a-
 dvertere: Virtutis enim nomen duo significat, genus scilicet singulari
 virtutum, & virtutem universam quae est virtus tota & perfecta: de
 singulis virtutibus verè dicitur nomen & definitio virtutis pro gene-
 re sumta: sed non virtutis universae.

QVÆSTIO X.

An consiliarius etiam non requisitus debe-
 at monere & consulere?

8. Quidni? + Quemadmodum vitis, tamen si frutex omnium nobi-
 lissimus, tamen vallorum, arundinum sustentaculis semper eget, ne in-
 gruente Aquilonum impetu evellatur: ita principis animus consiliari-
 orum fide & virtute nunquam non fulciri debet, ne hostium vix evi-
 tabili malicia aliquando opprimatur. At quantà eorum multitudine
 circum circa undique princeps circumseptus? Repit per aulam per-
 niciosissima adulatorum turba: quos licet maxime vitandos esse novi-
 mus, tamen, ut rectè censebat Sigismundus Imperator Prudentissi-
 mus, ita natura comparatum est, ut maxime illis habeamus. Nam Adu-
 latio, Senecæ judicio ep. 43. apertis & propitiis auribus recipitur, in
 praesentia ima descendit: libenter enim quod delectat audimus: refert
 D. Hieron.

D. Hieron. offendit quod nolumus. Sed & Princeps ministros habet
seu officarios cuiusq; generis, qui ei omnium ferculorum in mensa copiam
afferunt, rari vero sunt qui afferant veritatis ferculum, Tholoz. l. 4.
de rep. c. 5. num. 5.

Cum † igitur & qui veritatem occultat, & qui prodit mendaci- 2.
um, uterque reus sit: ille quia prodesse non vult: hic quia nocere de-
siderat: D. August. lib. de agone Christi: caveat, caveat consi-
liarius, ne consilio dexteriori destitutus princeps, in extrema quaque
præeps ruat. Urgeat eum quoque intolerabile negotiorum pondo qui-
bus princeps gravatur, ita ut si titubet cadatve nihil novi accidat.
Quod indigitare voluit princeps quidam, cuius mentionem facit Ca-
merarius cent. 1. oper. subcil. cap. 61. qui traditum sibi diadema,
quod capiti imponeret, retentum diu considerabat, tandemque in hæc
verba erumpebat: O nobilem magis ac felicem pannum, quem si quis
penitus agnosceret, quam multis sollicitudinibus periculisq; & miseriis
sit referendus, ne humi quidem jacentem vellet tollere.

Idcirco † nihil magis alienum à consiliario sit, quam principi 3.
tanta in Charybdi laboranti manum detrabere. Quin potius imitetur
Capitolinum, qui gratiora dictu noverat, sed maluit vera pro gratis
loqui, Livius lib. 3. omnique timore deposito liberè reipub. consulat:
Degeneres animos timor arguit: canit Virg. 4. Æneid.


Admoneri † igitur Principem debere constat: sed 1. re anxie & 4.
probè considerata. Deliberandum est diu quod statuendum est semel,
inquit Sen. Intueatur etiam circumstantiam loci; ne id fiat in publi-
to: temporis item: quod enim ratio nequit sepe sanavit mora. Quo-
niam etiam non omnes cum Hierone neminem qui liberè loquitur sibi
importunum censent: idcirco naturam quoque principis cognitam ha-
beat. Non secus enim ac quedam gemmæ aceto macerata mitescunt:
pleraque melle decoctæ: sic nonnulli acriori objurgatione:
singuli pene principes verborum blanditiæ in viam
rectam reducuntur.

Finis disputationis sextæ.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Inis disputatio de...









DISPUTATIO VI.
Centuriæ tertiæ
**QVÆSTIONVM
ILLVSTRIVM**
PHILOSOPHI-
CARVM
*In Inchtâ VVittebergensi Academiâ
Proposita:*
PRAESIDE
M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.
Publ.
RESPONDENTE
MICHAELE BLANCKIO
Dantiscano-Borusso.
*Ad 9. Cal. Novembr. hor. à 6. matutinis in Auditorio Col-
legii veteris.*
VVITTEBERGAE
Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus
Pauli Hellvvigii Bibliop. Anno 1607.

